

III. DIÆTETICO. Aereligendus est temperatûs, si à temperato recedit, præstat ipsum declinare ad caliditatem & siccitatem, quam ad frigiditatem & humiditatem: Nisi verò per se talis, suffumigiis ex corticibus citri, arantiorum, succino, thure, styrace, &c. corrigendus & alterandus est.

CIBUS nec plenus nec tenuis, ex corrigentibus constet, sit εὐχρυσὸν καὶ εὐπερίον. Ex carne arietinâ, quæ proprietate juvare, & prodesse dicitur, aves montanæ, cancri. Cibi aromatizentur, nisi febris adsit. Conferunt extremitates animalium. Frui etiam licet nucibus juglandibus, Caricis, Castaneis, amygdalis, allio, raphano, brassica, porro, cichorio.

POTUS. Si liquida non abhorreant, vinum meracum, album non valdè vetus. Contrà si abominentur liquida, conveniunt, schistum seu lac coagulatum. Gelatina, cujus artificiosam palatoque gratissimam præparationem exponit Steegius.

VITANDÆ sunt Umbræ Cornorum, sorborum, contactus virgarum harum ipsarum arborum, virgarum sanguinearum, fraxini.

Præterea, qui convaluerunt, singulis annis tempore morbus revoluti, purgationem non negligant, dieque instanti Theriacam assumant.

ANIMI ΠΑΘΗΜΑΤΑ. Vigeat hilaritas: Exulet Ira, TERROR & tristitia.

MANTISSÆ.

Qui Hydrophobiam ad Anginæ speciem Cynanche dictam referret, ipse à veritatis via non multum aberraret.

B 3 Ada-